



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliarvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCCX. ad annum MLXXIII.

Parisiis, 1644

Haec Institvervnt Rex Aethelredvs & sapientes eius apud Habam. Capitvla.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15625

Acta Con-
cilio.

Synodus, in qua sedatæ sunt controuersia illæ inter episcopos, de quibus Ditmarus Mersepurgenfis episcopus, qui eidem Synodo præfens interfuit, hæc scribit: *Post hæc Synodus hic fuit magna, in qua Gebehardus Ratisponensis ecclesie præsul ab archiepiscopo suimet arguitur, & Metensis ecclesie præsul Theodoricus a rege increpatur, eo quod epistola suimet hunc iniuste apud papam accusaret. Hæc omnia & multa alia consilio prudenti finita sunt, & restitutio parochia tunc promissa est mihi. Idem Ditmarus fatetur se pro recuperandis suæ parochiæ bonis Synodo huic libellum dedisse, atque Theodorico Metensi episcopo ab omnibus in Synodo præsentibus interdictum esse, vt ante purificationem Missam non caneret. Vide Baronium anno 1011. num. 1.*

ANNO
CHRISTI
1011.

LEGES ECCLESIASTICÆ

CIRCA
ANNVM
CHRISTI
1011.

ÆTHELREDI REGIS CIRCA ANNVM MXII.
apud Habam condita, quarum quatuor partes habentur in Iornalensi manuscripto. Tres priores nihil conferunt in rem ecclesie, quarta vero sunt hæc capitula.

TITVLI CAPITVLORVM.

- | | |
|--|---|
| I. De denario sanctæ ecclesie dando, & de decimatione thaynorum. | IV. De consuetudinibus sanctæ Dei ecclesie reddendis. |
| II. De ieiunio & feriatione trium dierum ante festum sancti Michaelis. | V. Ne quis vendatur extra patriam. |
| III. Quid regi & populo omni die sit cantandum. | VI. De roboria. |
| | VII. De eleemosynis & reئتitudinibus ecclesie. |

HÆC INSTITVERVNT REX ÆTHELREDVS
& sapientes eius apud Habam.

CAPITVLA.

I.

IN primis, vt vnus Deus super omnia diligatur & honoretur, & vt omnes regi suo pareant, sicut antecessores sui melius fecerunt, & cum eo pariter defendant regnum suum. Et constituerunt in primis Dei misericordiam & auxilium inuocare ieiuniis, eleemosynis, confessione & abstinentia, & malefactis & iniustitia abstinere. Et vt detur de omni carruca denarius, vel denarium valens, & omnis qui familiam habet, efficiat vt omnis hirmannus suus det vnum denarium. Quod si non habeat, det domi-

* forte, de-
cimet
nus eius pro eo. Et omnis thaynus * detenet totum quod
habet.

II.

* lege
herbis
Et instituimus vt omnis Christianus, qui ætatem habet,
ieiunet tribus diebus, ieiunet in pane & aqua, & * bis cru-
dis, ante festum sancti Michaelis. Et omnis homo ad con-
fessionem vadat & nudis pedibus ad ecclesiam, & pecca-
tis omnibus abrenuntiet emendando & cessando. Et eat
omnis presbyter cum populo suo ad processionem tribus
diebus nudis pedibus, & super hoc cantet omnis presby-
ter triginta Missas, & omnis diaconus & clericus triginta
psalmos, & appareatur tribus diebus corrodium vniuf-
cuiusque sine carne in cibo & potu, sicut idem comede-
re deberet, & diuidatur hoc totum pauperibus. Et sit om-
nis seruus liber ab opere illis tribus diebus quo melius ieiu-
nare possit: operetur sibi quod vult. Hi sunt illi tres
dies; dies Lunæ, dies Martis, & dies Mercurii proximi ante
festum sancti Michaelis. Si quis ieiunium suum infringat,
seruus corio suo componat, reddat liber pauper trigin-
ta denarios, & regis thaynus centum viginti solidos, & di-
uidatur hæc pecunia pauperibus. Et sciat omnis presby-
ter, & tungraius, & decimales homines, vt hæc elee-
mosyna & ieiunium proueniat, sicut in sanctis iurare po-
terunt.

III.

Et præcipimus vt in omni congregatione cantetur
quotidie communiter pro rege & omni populo suo vna
Missæ ad matutinalem Missam, quæ inscripta est, Contra
Paganos, & ad singulas horas decantet totus conuentus
extensis membris in terra psalmum *Domine quid multipli-* *Psal. 3.*
cati sunt, & collectam Contra Paganos, & hoc fiat quam-
diu necessitas ista nobis est in manibus. Et in omni cœno-
bio vel conuentu monachorum celebret omnis presby-
ter sigillatim triginta Missas pro rege & omni populo, &
omnis monachus dicat triginta psalteria.

IV.

Et præcipimus vt omnis homo super dilectionem Dei
& omnium sanctorum det cyrisceattum & rectam deci-
mam suam, sicut in diebus antecessorum nostrorum fecit,
quando melius fecit; hoc est sicut aratrum peragrabit, de-

cimam acram: & omnis consuetudo reddatur super amicitiam Dei ad matrem ecclesiam cui adiacet, & nemo auferat Deo quod ad Deum pertinet, & prædecessores nostri concesserunt.

V.

Et prohibemus ne quis extra patriam vendatur: si quis hoc præsumat, sit præter benedictionem Dei & omnium sanctorum, & præter omnem Christianitatem, nisi pœniteat & emendet, sicut episcopus suus edocebit.

VI.

Et prohibemus omnem roboriam omni homini. Et sit omnis homo iure publico dignus, pauper, & diues, & reddatur omnis roboria: si quis aliquam fecerit, emendet sicut prius & postea fecit. Et si quis præpositus eam fecerit, dupliciter emendet quod alii iudicaretur.

VII.

Et reddatur pecunia elemosynæ hic ad festum sancti Michaelis, si alicubi retro sit per plenam vvitam; & omnibus annis deinceps reddantur Dei reëtitudines in omnibus rebus quæ supra dictæ sunt, per amicitiam Dei & sanctorum omnium, vt Deus omnipotens misericordiam nobis faciat, & de hostibus triumphum nobis & pacem indulgeat, quæ sedulo deprecentur vt misericordiam eius consequamur hic, & in futuro requiem sine fine. Amen.

De officio iudicis.

Omnis iudex iustus misericordiam & iudicium liberet in omnibus, vt in primis per reëtam scientiam dicat emendationem secundum culpam, & eam tum ad mensuret propter indulgentiam. Quædam culpæ reputantur a bonis iudicibus secundum reëtum emendandæ: quædam per Dei misericordiam condonandæ: iudicia debent esse sine omni *Haderunga* quod non parcatur dimitti alicui, vel ege-
no amico, vel inimico ius publicum reëtore, & nihil iniustius est quam susceptio munerum pro iudicio subuertendo, quia munera excitant corda sapientum, & subuertunt
Math. 7. verba iustorum. Dominus Iesus dixit: *In quo iudicio iudicaueritis iudicabimini.* Timeat omnis iudex ac diligat Iudicem suum, ne in die iudicii mutus fiat & humiliatus ante oculos Iudicis cuncta videntis. Qui innocentem opprimit,
&

& dimittit noxium pro pecunia, vel amicitia, vel odio, vel quacumque factione, opprimetur ab omnipotenti Iudice. Et nullus dominus stultos aut improbos iudices constituat, quia stultus per ignorantiam, improbus per cupiditatem vitat quam didicit veritatem. Grauius enim lacerantur pauperes a prauis iudicibus quam a cruentis hostibus. Nullus hostis acerbior, nulla pestis efficacior quam familiaris inimicus. Potest aliquotiens homo fuga vel defensione vitare prauos iudices, non ita possunt iudices quotiens aduersus subditos malis desideriis inflammantur. Sæpe etiam boni iudices habent malos vicarios, & ministros nefandos, quorum ipsi domini constringuntur, si non eos coerceant, & a rapacitate cohibeant, quia Dominus & minister sæculorum ait: *Non solum male agentes, Rom. 1. sed omnes consentientes, digni sunt æterna morte.* Sæpe etiam prauo iudice iudicium peruertunt vel respectant, & non finiunt causam, donec voluntas eorum impleatur. Et quando iudicant, non opera sed munera considerant impii iudices, iuxta verbum sapientum: *Sicut rapaces lupi vespere nil Soph. 3. residuant vsque mane:* id est, de præsentis solam vitam cogitant, de futura nihil considerant. Malorum præpositorum mos est, vt quidquid possunt auferant, & vix necessarium parum quid relinquunt sustentationum. Iracundus iudex non potest accedere rectam iudicii satisfactionem, nam per furoris excacationem non perspicit rectitudinis claritatem. Iustum iudicium est, vbi non persona consideratur. Scriptum est: *Non attendas personam hominis in iudicio, nec pro aliquo facies vt a vero declines, & iniuste iudices.* Susceptio muneris est dimissio veritatis.



ANNO
CHRISTI
1012.

V I T A
BENEDICTI PAPÆ VIII.

BENEDICTVS natione Tusculanus, huius nominis Octauus, creatus est pontifex anno Redemptoris nostri 1012. tempore Henrici regis. Aduersus hunc in schismate contra sacros Canones creatus est Gregorius, qui potentia Romanorum fretus Benedictum ab Vrbe expulit. Pontifex hanc iniuriam a schismatico illatam non ferens

Benedictus
quando papa factus.
Schisma nuncium.

Concil. Tom. 25. Mm